

De cardialgia : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joannes Georgius Münch.

Contributors

Münch, Johann Georg.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Plateni, 1818.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ny63kn55>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8
DE

CARDIALGIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA, QUAM CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

PALAM DEFENDET

AUCTOR

JOANNES GEORGIUS MÜNCH

TREVIRENSIS.

DIE IV. SEPTEMBRIS A. MDCCCXVIII.

H. L. Q. S.

BEROLINI,

T Y P I S P L A T E N I

„Nunc non graculi aut corvi more de vocibus
„decertes, sed ipsi rerum veritati des operam.“

Galenus.

VIRO ILLUSTRISSIMO
DR. ERNESTO HORN

S. A. M. A CONSIL. INTIM.; CRUCIS FERREAE EQUITI;
SECTIONIS MEDICAE COLLEGII REI POLITICAE, SOCIETATUM,
ERUDITARUM PLURIUM GERMANIAE, GALLIAE,
HELVETIAE, SODALI; ETC. ETC.

NEQUE MINUS

VIRO CLARISSIMO
DR. CAROLO BURCKHARDT

AUGUSTAE TREVIRORUM MEDICO PRACTICO, MUNERIBUS
PUBLICIS FUNGENTI.

MEDICO RATIONALI EXPERTISSIMO, INDEFESSO ET
HUMANISSIMO.

V I R I S
VERECUNDIA SINGULARI COLENDIS

HASCE PAGELLAS

VOVET

AUCTOR.

VIRI ILLUSTRISIMO

DR. ERNESTO HORN

DE. CARLO BURCHARDT

VIRI ILLUSTRISIMO

DR. CARLO BURCHARDT

DE. CARLO BURCHARDT

VIRI ILLUSTRISIMO

DE. CARLO BURCHARDT

VIRI ILLUSTRISIMO

VIRI ILLUSTRISIMO

DISSERTATIO

DE MORBO CARDIALGICO.

§. 1.

Magna est vocabulorum, quibus auctores ventriculi Spasmodum designant, copia; usitatiora haec sunt: *Cardialgia*, *Cardilaea*, *Periodynica*, *Dyspepsodynia*, *Gastrodynia*, *Morsus Stomachi*, *Rosio Stomachi*, *Cardiognus ventriculi*, *Morbus cardiacus*, *Passio cardiaca*, *Dolor ventriculi*, *Spasmus ventriculi*; haud omnia quidem congrua, scitu tamen ad intelligendos scriptores necessaria.

§. 2.

Quo strictius hujus dissertationis limites delineentur, fere haec praemittenda veniunt:

1) Sub *Cardialgia dystrophica* intelligitur vitium organicum, cujus symptoma potissimum *Cardialgia* est stricte sic dicta; vomitus chronicus,

quamvis in hoc casu vix unquam absit, phaenomenon tamen est, quod ab aegro non nisi post illud accusatur; vitium organicum vero, vomitu chronico sociatum, Cardialgiam ceteroquin veram non, sed dolorem tantummodo exhibens, qui gastrodyniae limites non transgreditur, extra hujus dissertationis fines positum est. Quum enim haec divisio e morbi natura minime elucescat, sed e sola distinguendi necessitate nascatur, per se clarum est, vitium organicum morbum praebere, Cardialgiam vero et vomitum chronicum non nisi hujus symptomata sistere; cum vero vitiorum organicorum sedes et indoles erui saepe non possint, morbus sub symptomatis praecipui capite pertractetur necesse est.

§. 3.

2) *Gastrodynia* est inferior Cardialgiae gradus, sub quo non adsunt nisi dolor comprimens et anxietas modica; hinc omnia quae de Cardialgia postea dicentur, etiam de gastrodynia valent, adhibitis nimirum quibusdam modificationibus, quas minor morbi vehementia sibi exposcit.

§. 4.

3. *Soda*, quae a medicis non nullis pro affectu non nisi gradu a Cardialgia diverso habetur, ad huius naturam certe minime spectat; nam ex eo, quod soda interdum in Cardialgiam transit, nondum se-

quitur, ut solo gradu differant, quia secus, illa nunquam huius symptoma esse possit; nam in uno eodemque organo, doloris gradus maior minorem tollat necesse est.

DIAGNOSIS.

§. 5.

Cum symptomata Cardialgiae, pro diversitate gradus, causae et sedis morbi, valde inconstantia sint, ex uno alterove phaenomeno per se dignosci nequit, sed e symptomatibus pluribus, conjunctim consideratis, deduci debet; hinc et ego, primo morbi imaginem, uti plerumque observatur, tum differentias quibus hic affectus ab aliis dignoscitur, deinde modificationes symptomatum et differentiarum, sub Phaenomenologiae titulo, referam.

a) Morbi imago.

§. 6.

Phaenomenis essentialibus adnumerantur: dolor gravativus ventriculum constringens, anxietas quae thoracem occupat; denique percipiendum, adductis ad abdomen cruribus, levamen.

Haec symptomata in omni quidem Cardialgia adesse solent, sed, pro diversis morbi gradibus, majori vel minori vehementia prodeunt, aliisque sociantur phaenomenis: in altiori nimirum morbi

gradu oriuntur: nausea, vomituritio, imo vomitus, soda et pyrosis, vertigo, sudores frigidi, pallor faciei, extremitatum albor et effectus spasmi latius propagati; pulsus nempe contractus, irregularis, plerumque tamen a norma non multum recedens, urina aquosa, tremor artuum, palpitatio cordis, distortio faciei, orthopnoea, singultus, constrictio faucium et oesophagi; dolor haud amplius solum stomachum occupat, sed etiam in colo transverso, in pectore, praecipue in latere sinistro et dorso, saevit; epigastrium tactu dolet, situs erectus malum exasperat, aeger dolore et anxietate cruciatus, contorto corpore decumbit.

b) Distinctio.

§. 7.

Confundi nequit Cardialgia, nisi cum affectibus dolorificis, ventriculum ipsam, vel et organa proxima occupantibus; quorum differentias obiter recensere liceat:

§. 8.

Dolores, quos *Gastritis* excitat, urentes pungentesque, per compressionem ventriculi valdopere augentur; adsunt: sitis inextinguibilis, vomitus adeo effrenus, ut omne medicamentum, etsi blandissimum, ejiciatur, nec levamen quodcunque afferat evacuatio continua, contra, cruciatum truciter exas-

peret; incalescunt praecordia, signa febris adsunt in pulsu, urina et temperatura corporis; morbus nec remittit, nec intermittit, sed continuus decurrit et vires citissime prosternit.

§. 9.

Sub *Cardialgia* vero, adest dolor gravativus vel constringens, non pungens, qui per compressionem ventriculi mitigatur; sitis nulla aut modica saltem; vomitus raro occurrit, et si obtinet, dolores non auget, sed eos saepissime compescit; praecordia, etsi in altiori morbi gradu doleant, tamen non incalescunt; pulsus normalis est, raro spasticus; observantur: urina aquosa, temperatura corporis non aucta, imo imminuta, decursus chronicus et virium lenta consumptio.

§. 10.

Diaphragmitis, Hepatitis, ceterique hujus generis affectus, non facile pro *Cardialgia* habentur, cum eorum natura, per sedem et indolem doloris, per signa febris et decursum acutum, item ceteris symptomatibus, his affectibus propriis, satis omnino patefiat; sic quoque a *Rheumatismo, Spasmo et Arthritide diaphragmatis, ab affectibus dolorificis cordis et Rheumatismo epigastrii*, per signa cuivis essentialia, absque difficultate distinguitur.

§. 11.

Facilius confunditur cum *doloribus colicis*, tam ob aegrotantium plurimorum perversum, quibus vulgus Cardialgiam et Colicam designat, vocabulorum usum, quam ob doloris per nexum organicum diffusionem et obscuritatem, eo magis, cum sub vehementi dolore sensus communis quasi alienatus sit, et cum multi homines ventriculi strictiorem situm ignorent.

Dolores coliei vagi sunt, in regione umbilicali percipiuntur, terebrantes, absque soda, nausea et vomitu; nulla cardiae et oesophagi constrictio; multaeque aliae adducuntur differentiae, his magis ambiguae; ceteroquin haec confusio, in infantibus vix praecavenda, nullum plane damnum afferre potest.

c) *Phaenomenologia.*

§. 12.

Signa Cardialgiae diagnostica in propositis tradita, non per se dijudicari, scilicet ex ceterorum serie desumta, sed una cum his considerari debent, nimirum accuratissime habita ratione, et complicationum fortuitarum, et modificationum, quas postea fusius explicare liceat.

§. 13.

Symptomata, quae plerumque *essentialia* di-

cuntur, partim ad exacte dignoscendum morbum, sola non sufficiunt, partim vere essentialia non sunt; sic dolor constringens aut gravativus, ventriculum occupans, quamvis symptomata summe constans, per se diagnosin tamen sat obscuram praebet, cum aegrorum loquendi rationi, sensui communi et iudicio, non semper fidendum sit. *Anxietas*, sub paroxysmo cardialgico nunquam quidem abest, sed et alios morbos comitatur. *Levamen*, per compressionem ventriculi percipiendum, symptoma essentialiale Cardialgiae non est, cum in pluribus Cardialgiae organicae speciebus, pronatio corporis dolorem augeat; cuius rei veritatem in homine vomitu chronico cum gastrodynia laborante et adhucdum in nosocomio Caritatis Berolinensi degente, nuperrime confirmatam vidi.

§. 14.

Vomitus, quamvis sub Cardialgiae organicae paroxysmis raro absit, symptoma omnis Cardialgiae tamen non est. Si morbus causam dynamicam agnoscit, rarius observatur vomitus, et si ingruit, serum acre, acidum, putridum, aut liquorem nauseoso-insipidum ad plurimum librarum copiam, vel et alia ventriculi contenta, evacuando, morbi productum sint, sint causa, paroxysmo saepe finem imponit. Liquor ille, vel et aliae sordes, multum sine dubio ad ciendum vomitum contribuunt, quae evacuatio tamen sub paroxysmi acme vix unquam

obtinet, cum motus ventriculi convulsivus; a motu mere antiperistaltico quam maxime certe diversus sit, cardiacam et pylorum, non solos quidem sed vehementius tamen, constringens et convellens, hinc, ad arcendum potius, quam ad promovendum vomitum, aptus sit; sin autem spasmi vehementia decrevit, aut ventriculi contentorum vis emetica multo aucta est, tunc motus antiperistalticus motum convulsivum superat, contenta evacuat, et per aliam, quam motui ventriculi conciliat directionem, ad compescendum morbum saepe magnopere confert.

§. 15.

Soda, sub paroxysmis cardialgicis, praecipue vehementioribus, obtinens, effectus est acrimoniae, scilicet morbi vel causae vel producti. Cum per nervorum affectionem ingratam, sub paroxysmo obtinentem, secretio gastrica, ceterarum secretionum ad instar, ratione qualitatis mutetur, ita, ut loco succi gastrici genuini secernatur liquor ille nauseam movens, per vomitum evacuandus, videtur soda saepissime Cardialgiae effectus esse, rarius ejus causa. Sic et ardor oris et faucium, aut a liquore illo, aut a simili, per glandulas oris consensu secreto, provenire videtur; quae secretio interdum adeo profusa est, ut *ptyalismum pyrosicum* (pyrosis suecica s. C. sputatoria) talem Cardialgiam vocaverint.

§. 16.

Sunt medici, qui *symptomatum inflammationis* defectum signum pathognomonicum omnis Cardialgiae constituent, id quod ab aliis improbat: Interdum ventriculus sub paroxysmo cardialgico, per medicamenta stimulantia, vel et per dolorem continuum, ita irritatur, ut epigastrium tactu doleat, imo incalescat, sitis et vomitus cieantur et sic porro; ex quibus symptomatibus medicus statim inflammationis ventriculi prodromos colligit atque cognoscit, stimulorum usum rite moderat, vel, pro varia rerum conditione, statim inflammationem debellare conatur; qua obtinente, pulsus frequentia et reliqua signa tribuenda sunt inflammationi, non vero spasmu ventriculi; hinc remedia sibi exposcunt, illis prorsus contraria, quae plurimis Cardialgiae speciebus conveniunt. Cardialgia sanguinea quidem pulsum durum, plenum et frequentem saepe exhibet, post haemorrhagiae alicujus, cui natura jamjam adsueverat, suppressionem oritur, et per hujus restitutionem, aut aliam sanguinis detractionem plerumque sanatur, sed reliqua signa inflammationis internae non offert, nisi plane neglecta vel perverse tractata, in inflammationem revera transmutetur, hinc alia evadat morbi forma.

§. 17.

Aphthae oris, haud raro sub paroxysmo pro-

rumpentes, ad symptomata accidentaria pertinent; rarius observatur *animi deliquium*, ab exhaustis per dolorem viribus. *Epistaxis* et *Haematemesis* rarissime obtinent, et si accidunt commotioni, per vomitum inductae debentur.

P A T H O G E N E S I S.

§. 18.

Cardialgiam constituit motus ventriculi abnormis, a motu mere antiperistaltico tamen longe diversus; est spasmus, qui non in convulsione contemporanea omnium fibrarum muscularium ventriculi, sed in eo consistere videtur, quod fibrae, eodem tempore in uno loco constrictae, in altero relaxatae sunt. Spasmus certe non solam cardiam occupat, uti veteres credidere, sed pylorum quoque et reliquum ventriculum, monente jam *Fr. Hoffmanno*; cum vero maxima sit circa cardiam fibrarum muscularium copia, concludere utique licet, hanc et eminenter convelli a spasmo.

T Y P U S.

§. 19.

Paroxysmus initio mitiora symptomata exhibet, quae deinde augentur cumque novis copulantur, tandem adeo decrescunt, ut post quadrantem horae plerumque finiantur. Interdum tamen paroxys-

mus per horam integram et ultra, in rarioribus casibus per diem, imo per septimanam durat, ubi tamen remissiones concedere solet. Cardialgia plerumque morbus intermittens est, cujus paroxysmi inordinate redeunt, et per varia irritamenta, tam externa quam interna, quorum nexus causalis nobis maxima ex parte latet, excitantur; sic multis in aegrotantibus post coenam in aliis vacuo ventriculo, vel post sumtos cibos, qui a ceteris optime feruntur, ingruunt. Interea nec desunt exempla Cardialgiae, typum menstruationis servantis, vel omni secunda, tertia, die redeuntis,

AETIOLOGIA.

§. 20.

Causis disponentibus adnumerantur: a, debilitas irritabilis universalis, hinc sexus foemineus, praecipue graviditatis et menstruationis tempore, hysteria et hypochondria, chlorosis erethica, et omnes influxus, qui spasmorum generationi in genere favent. b, momenta omnia, quae generationi vitii organici in ventriculo ipso, aut ejus vicinis partibus ansam praebent; uti vita sedentaria, motus corporis unilateralis, partialis diu continuatus, cingula ventriculum comprimentia, ceterique influxus mechanici nocentes. Quibus rite per-

pensis, per se patet, dispositionem hereditariam in excitanda Cardialgia plurimum valere; neque desunt Cardialgiae, per hereditatem acceptae, exempla.

§. 21.

Ad *potentias nocentes occasionales* referuntur omnia, quae directe in ventriculum agendo, normale inter sensibilitatem et irritabilitatem aequilibrium tollunt, et ventriculi vim vitalem inaequaliter in ipso distribuunt; porro, omnia quae ventriculum, idiopathica aut sympathica ratione, per irritationem dynamicam aut mechanicam, ad convulsionem sollicitant; haec omnia sub divisione aetiologicala enumeranda veniunt.

DIVISIO AETIOLOGICA, SIMUL CUM
NOSOLOGIA.

A. *Cardialgia immaterialis.*

(*C. nervosa. C. mere dinamica.*)

§. 22.

a) *C. florida*: (*C. irritabilis. Catarrhus ventriculi*) debetur irritabilitati nimiae ventriculi, vegeta ceteroquin sanitate.

Insequitur emeticorum, drasticorum, acrium,

abusum; iram, terrorem et alia pathemata; praepriis vero cibos vel potus refrigerantes, aestuante corpore ingestos.

Initio gastrodyniae limites non transgreditur; in cardialgiam stricte sic dictam, tamen abire solet, cum colluvie aquosa in ore, aestu et sudore faciei.

Diagnosis: habitus floridus, appetitus et digestio integra; paroxysmi plerumque quarta hora post meridiem ingruunt, post praegressum motum corporis validum, spirituosorum abusum, vel post sumta acida, dulcia, salsa, sicut post animi pathemata, anteponunt et majori vehementia prodeunt; plerumque cibis et medicaminibus congruis facile compescuntur; desunt signa erethismi vel atoniae universalis, gastroseos, organisationis vitiatae et suppressionum.

§. 23.

b) *C. hysterica et hypochondriaca:* (*C. sensibilis. C. ab erethismo universalis*) e debilitate erethica universalis originem ducit, gastrodyniae vel cardialgiae, stricte sic dictae, formam induens.

Diagnosis: symptomata erethismi universalis, digestio turbata, alvus plerumque obstructa; sub paroxysmis, qui haud raro periodice redeunt, constrictio faucium, globus hystericus et vomitus con-

tinuus, vix unquam absunt, quin causae materialis signa detegantur.

Experientiae tamen non contrarium esse videtur, in organismo erethico Cardialgiam naturae atonicae interdum occurrere posse; stomachica et carminativa, quibus hypochondriacorum plurimi continuo utuntur, certe atoniam organorum digestionis inferre valent, superstite erethismo reliqui organismi.

Cardialgiam in hypochondriacis et hystericis obviam, interdum, et praecipue dum periodice reddit, in spasmo minime radicari, sed *Neuralgiae* ventriculi debere, opinio est, veritati non absimilis.

§. 24.

c) *C. atonica.* (*C. torpida.* *C. bradypepta.* *C. paralytica.*)

Diagnosis: habitus phlegmaticus, cachecticus et reliqua signa atoniae universalis; porro: anorexia, digestionis imbecillitas et inde nata colluvies pituitosa in ventriculo; aegri vacuo ventriculo bene valent; nullum cibum bene ferunt; paroxysmi cum inflatione, lassitudinis sensu, morositate et horripilatione ingrediuntur; paroxysmorum vehementia gastrodyniae limites raro transgreditur, cum atonia spasmo validiori minime faveat; in hominibus torpidis legitimae desunt actioni ventriculi

receptivitas et reactionis energia, hinc facile intelligitur, cibos, qui a sanis optime feruntur, illis insipidos et concoctu difficiles esse, sensumque ponderis et inflationis, nauseam et vomitum causare.

B. Cardialgia materialis.

§. 25.

a) *C. Saburralis*: Convulsio ventriculi, a causa materiali omni, quae vitiis organicis recte adnumerari non potest, et quae, nec a suppressione, nec a metastasi, derivatur.

Huc referuntur: *C. biliosa*, *C. pituitosa*, *C. acida*, *C. nidorosa* s. *putrida*, *C. verminosa* (*Heister* 1), *C. flatulenta* s. *Cardiogmus infantum* (*Lieutaud* 2, *Weikard* 3), *C. calculosa idiopathica* s. *gastrolithiatica* s. *bezoardica* (*Bonetus* 4), *C. ab induratis faecibus in colo transverso* (*Lentin* 5), *C. ab indigestione* s. *crapulosa* s. *heluonum*

1) Wahrnehmungen. N. 279.

2) Hist. anat. pg. 7.

3) Vermischt. Schriften. 11. p. 143.

4) Sepulchr. L. iii. [Sect VII.

5) In Hufelands Journ, tom. 1. st. 2. p. 186.

s. *apectica* (*Pelargus* 1, *Paulini* 2, *Wedelius* 3),
C. mechanica, a corporibus duris, tenacibus, asperibus, acutis, deglutitis (*Riedlinus* 4, *Brambilla* 5, *Benivenius* 6), *C. toxica* (*Whytt* 7, *Meibom* 8, *Stahl* 9, *Lentin* 10).

Causis Cardialgiae rarioribus adnumeranda sunt *viventia* diversimode ad ventriculum delata. Stupenda extant hujusmodi exempla; sic lacertae sicut et muris, sub somno ventriculum irreptorum, historia prostat in *Act. nat. cur.* 11); imo piscis vivi, in stomacho degentis, exemplum vix credibile refert *Borellus* 12); et quod horribile dictu, vehementem ventriculi dolorem, a serpente irrepto, observasse asserit *Rosier* 13).

1) *Medicin. Jahrg.* III. p. 457.

2) *De nuce moschata.*

3) *Dissert. de frust. medicament. adhibit.* p. 31.

4) *Lin. med.* 1700. p. 517.

5) *De phlegmone* 1, Cap. 9.

6) *De abdom. morb. causis.*

7) *Mem.* Vol. 11.

8) *De lenior medic. exim. usu.*

9) *De moros, aegr.*

10) *Beiträge.*

11) Vol. 1. obs. 107; Vol. V. obs. 142.

12) *Observ.* Cent. 1. obs. 9.

13) *Gazette salut. de Bouillon* 1777. p. 16.

Quamvis animalculorum instinctus, oësophagi structura, motus antiperistalticus per irritationem mechanicam faucium et oesophagi facillime ciendus, ventriculi motus et aër inclusus, his relationibus non nimis faveant, rei possibilitas tamen negari nequit, sed potius oportet, ut tales historiae sceptica lustrentur mente.

§. 26.

b) *C. Sanguinea*: Congestiones sanguineae ad ventriculum.

Diagnosis: Signa plethorae universalis, vel saltem abdominalis; praegressa haemorrhagiae, cui natura jamjam adsueverat, suppressio; perverse tractata, facile in inflammationem ventriculi abit, unde remedia irritantia, neglecta sanguinis detractio, male feruntur.

Vide Lentin: Beiträge; et Lorry von der Melancholie.

§. 27.

c) *C. metastatica*: insequitur intempestivam Rheumatismi (*Rheumatismus ventriculi* s. *C. rheumatica*. Stoll 1. Lentin 2), arthritidis (*Arthritis*

1) Ratio medendi.

2) Beiträge.

ventriculi s. *C. arthritica*. *Lind* 1. *Weikard* 2. *Lentin* 3. *Werlhof* 4), sudoris topici (*Lentin* 5), ulcerum (*van Swieten* 6), exanthematum et impetiginum (*Lentin* 7), febris intermittens (*Fr. Hoffmannus* 8), — suppressionem, repercussionem, vel denique, uti dicunt, retentionem anormalem.

Sunt medici, non pauci, qui hunc nexum causalem plane non admittant, medicorum clarissimorum observata conjecturis deleri non possint, immemores; equidem hujus rei rationem causalem eruere non ausus, *E. Horn*, medici expertissimi, opinionem sequor, qui nexum hunc minime quidem negat, sed critico oculo exempla proposita lustrat, cum, monente jam *P. Frank*, ad concessionem ejusmodi metastaseos non sufficiat, morbum talem cardialgiæ præcessisse et hanc illius typum servasse, uti veteres crediderint, sed

1) Lond. med. Journ. VI. p. 55.

2) Vermischte Schriften.

3) Beiträge.

4) Op. III. p. 710.

5) Beiträge.

6) Constitut. epid. p. 300.

7) Beiträge.

8) Med. rat. syst. pars IV. Sect. 11. Cap. 2.

simul necessarium sit, ut haec et illius restitutioni, aut remediis illum sanantibus, cedat.

§. 28.

d) *C. dystrophica*: (*C. organica*) Vitia organica in causa sunt; vomitus symptoma fere constans; paroxysmi saepe per horas XII ad XIV durant et ultra, per ciborum sumtum plerumque exasperantur; pronatio corporis et compressio ventriculi interdum dolores augent; adsunt variae varii decubitus molestiae; interdum materies pici nigrae liquidae similis, interdum sanies foetida, per vomitum ejicitur. Enumeratio signorum cuique vitio organico propriorum huc non spectat, sed e semiotice et symptomatologia repetenda est.

Cardialgia dystrophica dividi potest in idiopathicam et consensualem; ad primam referendae sunt:

C. callosa, *C. ulcerosa* ¹, *C. gastremphrastica* s. infarctuosa, *C. polyposa* (rarissimus morbus), *C. gastrocelica* ², Cardialgia a ventriculi dilatatione ³ et perforatione ⁴, coarctatione ⁵,

1) Boneti sepulchret.

2) Osiander Denkwürd.

3) Blasius obs. med. No. 13.

4) Boneti sepulchr.

5) Forestus lb. XVIII. obs. 34.

dislocatione ¹, coalitu cum partibus vicinis ², porro: a ventriculi thlipsi ³ et excoriatione ⁴, cartilaginis ensiformis impressione (*C. americana* ⁵), ductu choledocho ventriculo inserto ⁶.

Ad vitia organica, per consensum cardialgiam excitantia, spectant: physconia et intumescencia qualiscunque viscerum ventriculo proximorum ⁷, cholelithi ⁸, calculi renales ⁹, induratio hepatis ¹⁰, induratio pancreatis ¹¹, indurationes coli transversi ¹², perforatio oesophagi ¹³, laesio-

1) Baader obs. med. No. 15.

2) Boneti sepulchr. lb. III. Sect. VIII. obs. 44.

3) Ephem. nat. cur. Dec. 1. an V. obs. 51.

4) Act. nat. cur. vol. IX. obs. 30.

5) Genga anatom. chirurg.

6) Zacuti Lusitan. prax. admir. cit. in van Swieten Comment. §. 642.

7) Forestus L. XVIII. obs. 29.

8) Morgagni de sedibus et causis morb. lb. v. epist. 65. art. 13.

9) Morgagni l. c. epist. 42. No. 15. et Conradi in Hufelands Journ. B. VI.

10) Forestus lb. XVIII. obs. 29.

11) Boneti sepulchr. L. III. Sect. VII. obs. 49.

12) Lentin Beiträge.

13) Heister Wahrnehm. tom. 1. p. 385.

nes capitis 1. Dubia sunt cardialgiae exempla consensu, per brachii fracturam 2, gingivae laesionem 3, crocum temporibus impositum 4, vel alio modo ortae, quae apud auctores prostant.

PROGNOSIS.

§. 29.

A causarum varia natura, morbi tempore, gradu, et a constitutione universali organismi, pendet prognosis. In genere facillime sanatur C. saburralis, si in causa non sunt materiae, quae difficile, aut plane non removeri queunt; aegrius medetur C. sanguineae et C. metastaticae. Dubia est C. immaterialis prognosis, praecipue si diu duravit, aut provecta aegri aetate.

Quam, per annos continuatus pharmacorum usus et regimen diaeteticum perversum, organismo universo impressit anomalia, certe intra paucarum dierum spatium deleri nequit. Rarissime sanatur C. dystrophica, quae per vomitum continuum vires citissime prosternit; quare et fe-

1) Solenander. Consil. v. No. 16.

2) Forestus L. XVIII. obs. 26.

3) Lentilii Miscell. med. pr. p. 11. pg. 414.

4) Ephem. nat. cur. Dec. II. an IV. obs. 67.

bris lenta superveniens, sinistrum praebet omen. Raro paroxysmus, subito exhausta per dolorem vi vitali, morte terminatur; praeter illud, quod *Heisterus* 1) refert exemplum, aliud exstat cardialgiae lethalis, a sumto farcimine fumo indurato, exemplum apud *Riedlinum* 2), quem vero *Bonetus* 3) refert, exitus pessimus cardialgiae per aloën inductae, potius ventriculi inflammationi, quam spasmu tribuendus est.

T H E R A P I A.

A. Remedia in causam proximam agentia.

§. 30.

Plerumque spasmus pro causa proxima cardialgiae habetur, cum cardialgiae nomen nihil nisi dolorem cardiae designet, et spasmus revera sit causa doloris; re tamen accuratius considerata, patet, sublatum factorum vis motricis ventriculi aequili-

1) Wahrnehmungen.

2) Lin. med. 1700. p. 517.

3) Sepulchret.

brium causam morbi proximam esse, spasmus revera morbum praebere, dolorem vero non nisi hujus symptoma exhibere, indeque haud satis apte morbi nomen deduci.

§. 31.

Remedia hujus classis iterum dividi possunt in medicamina, quae causam proximam pro tempore saltem, et in ea, quae hanc permanenter et radicitus tollunt; ad illa pertinent antispasmodica sic dicta, ad haec roborantia.

a. *Antispasmodica.*

§. 32.

Pharmaca huius ordinis plerumque sub inscriptione remediorum cardialgiam palliative compescentium, complectuntur auctores, quamvis, sub certa rerum conditione rite adhibita, ad curam radicalem haud raro sufficient. E magna antispasmodicorum copia, non nisi ea adducam, quae spasmo ventriculi plurimum auxiliari dicuntur.

§. 33.

Bismuthum nitricum praecipitatum s. Magisterium Bismuthi.

Hujus substantiae, quae mulieribus cosmetico albo inservit, quo mendacem sibi adpingunt formositatem, natura salina nunc extra omne dubium posita est; sed de ejus virtute, nunc summopere lau-

data, nunc penitus neglecta, adhuc sub iudice lis est; cum auctores de hujus remedii agendi ratione, usu et abusu, rite statuendis, nondum inter se convenerint.

Secundum *Odier*, 1) *Baume*, 2) *Carminati*, *Weineck*, *Hufeland* etc. remedium est eximiae virtutis in cardialgia immateriali, ab irritabilitate nimia ventriculi; in C. ab erethismo universali contra, minus profuisse observatum est.

Conradi 3) nullibi exoptatum ab eo vidit effectum; imo *Jahn* 4) saepe damnum ab ejus usu allatum observavit, nec unquam medelam.

Dosi nimia, praecipue si acidum primarum viarum adest, vomitum, diarrhoeam, vel alvi obstructionem, vertiginem et temulentiam, causat. 5) *Jahn*, 6) a granis duobus, vehementes effectus vidit.

Odier, ab initio grana sex pro dosi propinavit, ad grana quadraginta octo, omni quarta hora,

1) Journ. de med. tom. 68. pg. 49.

2) In Hufelands neu. Annal. tom. I. p. 351.

3) In Hufelands Journ. tom. 4. st. 2.

4) Auswahl der wirk. Arzneim.

5) Hartmanni pharmacol. dynamics.

6) Auswahl. cet. p. 1159.

deinde sine noxa ascendendo. *Richter* octavam grani partem ab initio exhibuit. *Reil* quoque a minori dosi incipiens, eam gradatim usque ad scrupulum unum de die augebat.

Hufeland et alii, dosin inter granum unum et grana tria statuunt.

Adhibetur vel mere, vel cum magnesia carbonica, vel secundum *Neuhof* 2) cum opio. Compositio cum Ext. hyosc. et ol. cajeput. multum laudatur 1).

Magna cum moderatione opinionem meam tradere liceat, alienis superstructam observatis, cum summae auctoritatis medici, de hujus remedi agendi ratione dissentiant:

a) Magisterium Bismuthi, pro diversitate doseos et morbi naturae, effectum nunc salutarem, nunc damnosum in cardialgia exserit.

b) Dosi nimia ingestum, praeter effectus zinci oxydati, vertiginem et temulentiam provocat, hinc ipsi, si dosi congrua adhibetur, virtus aliqua sopiens, anodyna, praeter adstringentem et exsiccantem, denegari nequit.

c) Si remedium hoc, revera indicatum, adhibe-

1) Mediz. national. Zeit. 1798. Supl. p. 156.

2) Hufelands Journ. 1811. Jun. p. 24. —

tur, tunc certe effectum non solum palliativum, sed etiam radicalem exserit, ventriculo mutationem imprimens permanentem.

d) Si calx Bismuthi, ad grana aliquot primo porrecta, morbum exasperat et vomitum ciet, ab ejus usu cito abstinendum est; nam ex eo jam intelligitur, statum ventriculi, qui remedium hoc sibi exposcat, nullum adesse; cum in omni casu ubi medela radicalis observata est, majori dosi nullam noxam inferebat, et cum certe grana aliquot non sufficiant, ad turbandum ventriculum, ejus usui non repugnantem.

e) Salutem pollicetur in C. ab erethismo ventriculi; ob insolubilitatem et effectum topicum tamen ad corrigendum Erethismum totius organismi, minus aptum est; contra, nocet in C. atonica, in C. sanguinea, ante sanguinis sufficientem detractionem, sicut in ceteris C. materialis speciebus, quarum causae removeri queunt.

f) Non compescatur nisi Erethismus nimius; ne C. erethica in atonicam convertatur.

§. 34

Zincum oxydatum. Remedium hoc, cujus virtus antispastica a *Gaubio*, *Duncan*, *Crell*, *de la Roche*, *Herz*, *Starke*, *Richter*, *Hufeland*, comprobata est, in Cardialgia minoris efficaciae esse videtur quam magisterium Bismuthi; qui defectus

tamen, secundum *Hillary*, per additam substantiam narcoticam, aliquomodo suppleri potest.

§. 35.

Opium. Medicamentum summae efficaciae in C. erethica, C. dystrophica et in omni casu, qui curam radicalem non admittit, vel et, ob doloris vehementiam, citam mitigationem sibi exposcit. In C. saburrali non propinandum est, nisi post evacuatas sordes; suspensa manu adhibendum est, ne aeger, huic remedio adsuetus, doses sibi exposcat, organisationis labem indelebilem inducentes. (*A. G. Richter* 1).

Conjungi potest cum magisterio Bismuthi (*Odier* 2, *de la Roche*, *Reil* 3, *Hufeland*, *Haase* 4), vel cum diaphoreticis (*Lentin* 5).

§. 36.

Rad. Valerianae. Remedium antispasmodicum, nervis amicum, sensibilitatem nimiam compescens, cujus virtus palliativa omni tempore a

1) Spezielle Therap.

2) Journal de Med. tom. 68 p. 49.

3) Memorab. clin. Vol. 11. fasc. 11.

4) Ueb. die Erk. und Cur der chron. Kr. tom. 11.

5) Beiträge p. 227 — 238.

medicis in Cardialgia, praeprimis hypochondriaca et hysterica, comprobata est.

Adhibetur: in pulvere, ad drachmam unam, alteramve bis, ter, de die (*Conradi* 1) vel et in infuso, ad drachmas tres, aut unciam semis, cum fol. aurant. et liq. C. C. succin., vel et cum Naphthis, tinct. opii et cet. (*Haase* 2). Tinct. valer. et Quassiae cum liq. anod. miner. Hoffm. (*Gruner*), cum Ol. Cajeput. (*Lange* 3, *Weikard* 4). Cum Asa foet. (*Conradi* 5).

§. 37.

Asa foetida, Moschus, Castoreum. Remedia valida, priori non absimilia, a *Conradi, Duncan* et *Haase* multum laudata; Asa praecipue, ab *E. Horn* remediis anticardialgicis praestantissimis adnumeratur.

§. 38.

Vinum generosum. Praestans medicamen in omni casu stimulantia non contraindicante; prae-

1) In Hufelands Journ. IV. p. 193.

2) Chron. Kr.

3) Miscell. p. 128.

4) Verm. Schrift t. 11. p. 145.

5) Hufel. Journ. IV.

ceteris a *Marascotti*, *Riedlino* et *Haase* commendatur.

§. 39.

Mentha piperita. Remedium camphorae vires aemulans, ventriculo praeprimis amicum; a *Knigge* in *Comment. de Menth. pip.* admodum laudatum.

§. 40.

Camphora et *Naphtae*. Excitantia valida, ob intensitatem stimuli tamen caute adhibenda; id quod etiam de oleis aethereis et de acribus valet.

§. 41.

Emetica. ab *Hemman* prae ceteris laudata, causa materialis evacuanda adsit, aut non. Cum vero sub paroxysmi acme, magna dosi propinari debeant, ut vomitus cieatur, et vomitus excitatus summe laboriosus et difficilis, imo convulsivus sit, rarius in usum vocanda sunt (*Richter*). Magis conducunt emetica dosi refracta, praecipue cum opio, porrecta.

Summum detrimentum afferunt Emetica, dosi plena, in C. organica.

§. 42.

Remedia externa. Magni momenti sunt, et interdum multo citius compescendo agunt, quam remedia interna.

a) *Vesicantia* et *rubefacientia* ad epigastrium, egregium praestant effectum palliativum, praeprimis

in Cardialgia, ad statum inflammatorium vergente. (Klein, Sims, Richter).

b) *Fomentationes* siccae, calidae, ad epigastrium; ex speciebus aromaticis (Riedlinus, Poterius).

c) *Fotus praecordiorum*; ferri calefacti linteis immissi ope (Richter).

d) *Inunctio epigastrii*; ope linimenti e Camph. et ol. hyosc. (Wend) é Camph. et opio (Haase).

e) *Emplastrum ad epigastrium*; ex theriaca, Empl. de Galb. croc. Sal. volat. C. C., opio et pulv. Cantharid., (Hufeland); ex ol. nucist, — Menth. pip. — lavandul. — succin. et sale C. C. (Richter).

f) *Balnea tepida*, mera, aromatica, Kalina et c., saepe egregium effectum praestiterunt.

g) *Compressio epigastrii* saepe levamen affert; ceterum aegri ipsi, adductis ad abdomen cruribus, ventriculum comprimere solent.

h) *Frictiones*; remedium obsoletum a Schapero propositum (Diss. de Cardialgia quae frictionibus perlicitur. Rostock 1720); *Magnes*: anticardialgicum antiquissimum, diu neglectum, cujus virtutem in C. immateriali denuo experimentis illustravit Tissot (sämmtl. Schrift. Leipz. 1784. tom. IV. p. 703); *Magnetismus animalis*; *Electricitas*; *Galvanismus*; denique frictiones, quae ab inventore nomen *Perlinismi* ducunt. (Herholdt von dem Perkinismus etc. Kopenhag. 1798.)

b. Remedia roborantia.

§. 43.

Horum remediorum usus magnam circum-
 spectionem sibi exposcit, nec unquam durante
 paroxysmo propinanda sunt, cum eum exaspe-
 rent; praeterea in digestionis prostratione ma-
 gna, non adhibenda sunt validiora hujus generis
 remedia, quae validas quoque requirunt digesti-
 onis vires. Cura cum amaro-aromaticis, in inter-
 missionibus porrectis, inchoanda, simul cum an-
 tispasmodicis. Praecipuam famam in sananda
 Cardialgia sibi comparaverunt: *folia aurantii* (*Tis-
 sot, Werlhof, Hufeland*), *amara* (*Fr. Hoffman-
 nus, Klein, Whytt*), *nux vomica* cum pulv. aë-
 roph. Vogler. et elaeosacch. Menth. pip. (*Con-
 radi*); *Aquae minerales*; cautus tamen harum usus
 sit, sub convalescentiae stadio magis idoneus; usi-
 tatiores sunt: 1) *Pyrmontana martialis*, martialis
 cum praevalentibus salibus sulphuricis et muri-
 tics, (*Baine, Conradi*); 2) *Brückenaviensis*, mar-
 tialis cum praevalentibus salibus carbonicis (*Wei-
 kard*); 3) *Driburgensis*, martialis cum praevalenti-
 bus salibus sulphuricis et muriaticis (*Brandis*);
aqua communis frigida, interne et externe adhi-
 bita, remedium magnae virtutis est in C. erethica,
 quod vero magnam circumspeditionem sibi exposcit

et non nisi gradatim adhibendum est (*Conradi, Hahn, Ideler, Mursinna*).

B. Remedia in Causam remotam agentia,

§. 44.

a) *C. Saburralis*. Pro indicatione: emetica, eccoprotica, laxantia, antacida, anthelmintica, carminativa, solventia, decomponentia chemica, uti: acida et alcalina; porro: involventia, animalcula necantia, vel abigentia, uti: nux vomica, hydrarg. Gutti, Sabadilla cet.; Emetica tamen sub paroxysmo propinanda non sunt, nisi sit in mora periculum (*Richter*). Si corpora mechanice laedentia in ventriculo haerent, Emeticum propinari debet, ventriculo cibis repleto. Si acria in causa sunt, simul cum Emeticis mucilaginoso, vel oleoso sumantur. Si Anthelmintica, ex acrium serie, in usum trahuntur, cum oleosis jungantur, ne per irritationem malum exasperetur (*Richter*).

§. 45.

b) *C. Sanguinea*. Pro indicatione: venaesectio (*Riverius, Thoner, Whytt*), hirudines ad vulvam, vel ad crura interna (*Ideler*); vesicatoria ad epigastrium, clysmata et pediluvia irritantia. Pel-
lentium usus summe cautus sit, nec unquam ante

sufficientem sanguinis detractionem instituat; idem quoque de remediis antispasmodicis irritantibus valet.

§. 46.

c) *C. metastatica*. Pro indicatione; remedia quae plerumque antiarthritica et antirheumatica dicuntur; porro: quae statum morbosum suppressum revocant, uti: Diaphoretica, praecipue ea, quae simul virtute antispasmodica gaudent, v. g: Camph. Vinum Antim., Spirit. Mindereri, pulv. Doveri, aether vitrioli et cet; vesicatorium ad epigastrium, vel ad partem morbo antea occupatam, frictio cutis, balnea calida (*Lentin*); pediluvia calida, acria, vel ex Malto aut foliis betulae (*Richter*), Empl. diaphoreticum, Mezerei cortex in locum ubi exanthema, impetigo, ulcus et cet. disparuerit; Inunctio Ung. stibiato, fonticuli et moxa.

In *C. rheumatica*, si indolem synochicam induit, cautus sit Medicus in adhibendis antispasmodicis irritantibus; in omni casu conducunt emetica, quorum virtus in *C. rheumatica* jam comprobata est a *Riellino*, *de la Mettrie*, *Conradi*, *Osiander* et aliis.

§. 47

d) *C. dystrophica*: Haec rarissime aliam curam praeter palliativam admittit; pro diversi-

tate causae, qua medicamenta radicalia proponuntur: mercurius, antimonium, sapones, dulcamara, conium, taraxacum, (*Vogel*) et cetera medicamina quae ad classem solventium referuntur. Palliativa praestantiora sunt: mucilaginoso et oleoso, cum opio, aeth. sulphuric. et vesicatorium in epigastrio ponendum. —

REGIMEN DIAETETICUM.

§. 48.

Quamvis magna sit insidiarum, quas Cardialgia afflictorum saluti struit, caterva, his tamen, sicut et aliis malis quibus fragile vexatur mortali genus, diu resistunt illi, qui sanctas vivendo respectant leges *Hygicæ*. Recta potentiarum diaeteticarum administratio duplici ratione ad medelam radicalem confert; nam primum, paroxysmos rariores reddendo dispositionem morbosam mediate minuit, cum dolor ipse spasmodum generationi quam maxime faveat; tum actionis vitalis mutatam indolem ad normam reducendo, ad curam radicalem immediate contribuit.

§. 49.

Cardialgiae natura, aegri aetas, sexus, temperamentum, genus vitae et idiosyncrasia, tot momenta sunt, quorum ratione regulae diaeteti-

cae modificari debent. Aegri attentio in semet ipsum conversa, et experimenta cum circumspectione instituta, magnae praestantiae sunt, ad eruenta ea quae bene, quae male ferantur. Regulas generales deduxisse sufficiat.

§. 50.

Cibi sumantur justa copia, digestu non difficiles, cum modico aromate; interdum tamen per singularem idiosyncrasiam, cibi digestu faciles, saponi et nutrientes, male feruntur ab aegro, qui alios ejusdem generis cibos bene fert; sunt alii, qui nutrimenti validis, concoctu difficilibus, sine noxa delectentur, quod praecipue de C. ab acido valet.

§. 51.

Experientia teste, nutrimenta arte praeparata Cardialgicis magis conducunt quam simplicia; verum quidem est, cibos arte conditos et saponiores redditos, facilius ad excessum aegros seducere, sed hoc quoque de cibis simplicissimis valet saponioribus, e. g. de fructibus horreis. Si Cardialgia in urbibus crebrius occurrit, hoc certe minus tribuendum est arti culinariae, quam aliis causis, quibus praepriis adnumeranda sunt: ciborum depravatorum et inquinorum usus, vita sedentaria et artis salutiferae pestifera profanatio.

Non omnem interea cibum arte praeparatum, Cardialgia laborantibus convenire, nemo est qui dubitet, sed et inter simplicia regni vegetabilis et animalis producta, multa sunt, quae huic scopo minime respondent, licet haudquaquam sanis conducant.

§. 52.

Potus optimus pro sanis, est aqua mera; a Cardialgicis plurimis vero aegrius fertur; interim non statim ab ejus usu abstinendum est, si semel abhibita molestias affert, sed a minimis dosibus ad majores ascendendum; multa extant exempla Cardialgiae per solum aquae potum sanatae; id quod praecipue de C. atonica valet, cum in hanc stimulantia non nisi palliative agant, morbi causam proximam per effectum suum secundarium plerumque augentia,

§. 53.

Si aqua simplex minus conducit, aquae minerales, acido carbonico onustae, aut merae, aut cum vino et saccharo, lacte, juscule carnis, vel et pulv. aërophorus cum aqua, in usum vocanda sunt. Praestat saepe, si aqua non convenit, cerevisia amara, bene fermentata, vel et Coffeae tostae decoctum.

Lentinus Cardialgiam per coffeam sanatam refert, *Riedlinus* vero hoc potulento effectam

Cardialgiam observavit; qui effectus tamen potius copiae et calori potus, neque minus idiosyncrasiae peculiari, quam coffeae ipsi tribuendus est.

§. 54.

Quae si omnia male feruntur, ad vinum generosum, praeceteris ob contentum gas carbonicum, ad vinum campaniense refugiendum est. Spirituosa fortiora potulentis non amplius adnumeranda sunt, vero medicamentis; usus eorum quotidianus nocet, neque sitim sedat.

§. 55.

Potulenta nutrientia in usum trahenda non sunt, nisi necessitas urgeat; quam diu aegri nutrimentorum solidorum unum ferunt, a fluidorum usu abstinendum est, et illud parva quantitate et saepe repetendo propinandum; ne res brevi eo perveniat, ut ventriculus, vim mechanicam nullam amplius ferens, cibum solidum subigere plane nequeat, sed eum statim per vomitum rejiciat. Si vero indicatio vitalis instat, nutrimenta solida aut plane non, aut nimis parva copia modo feruntur, tunc utique potulenta nutrientia propinanda sunt; in hoc casu, pro diversa rerum positione, praestant; lac, praecipue asininum, vel merum, vel cum vitello ovi; lac ebutyratum, decoctum panis, hordei, avenae, juscula carnum, theobromae potus, rel. de quibus vide *Reyher* allg. pathol. Diaet.

§. 56.

*Motus muscularis non nimius sit; refrigerium
internum et externum ventriculi, sicut et pedum
evitetur; praecaveatur alvi obstructio; praecavean-
tur animi affectus deprimentes et pathemata.*

FINIS.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSAE

FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Augustae Trevirorum d. X. M. Feb. A. MDCCXCIII, patre optimo Henrico Münch natus; post peractum cursum elementarem, *classes grammaticales* nimirum et cetera litterarum primordia, in Gymnasio Trevirensi, *Philosophiae* absolvi disciplinas, A. MDCCCXII, ducibus: Prof. Curt, Schoenberger, Blaumaeuser, Wirz, Meurers, Meurer et Staat; Professoribus quibus ornatissimis, sicut et Directori doctissimo, historiographo nostrati *Wytttenbach*, — VIRIS, ob eruditionem, vitae integritatem et fanaticismi contemptum, semper colendis, *iis* minime exceptis, qui lethaeis jam sopiuntur undis, gratias habeo atque ago.

A. MDCCCXIII. Dr. *Schneider* privatim mihi tradidit *Osteologiam*, simul cum *Physiologiae* rudi-


mentis; sed non ultra semestre, nam eo tempore, quo *Galli* victas tradidere manus, juvenum ad rem militarem conscriptio et alia obstacula, fervido *artem medicam* colendi desiderio sese opposuerunt; *Confluentiam* me contuli, donec tandem exemptus, per sex menses studiis iterum incubui, atque *scientiam herbariam* in horto botanico publico, Directore *Lenne*, colui.

Interea congruum duxi *Viennae* continuare studia; id quod in *Universitate litteraria* quae ibi floret, usque ad Mensem Septembris A. MDCCCXVII peregi, et examinibus publicis illuc usitatis, me subjeci; et quidem mihi tradiderunt; *Anatomen* cel. *Mayer*; *Botanicam* cel. *de Jacquin*; *Physiologiam* generalem et specialem cel. *Prochaska*; *Chemiam* cel. *de Jacquin*; *Pathologiam*, *Pharmacologiam*, *Pharmacocatagraphologiam*, *Therapiam* generalem et *Semioticen* cel. *Hartmann*; *Nosologiam* et *Therapiam* specialem cel. *de Hildenbrand*; *Ophthalmiatricen* cel. *Prochaska*, *Chirurgiam* generalem et specialem cel. *de Rudtorfer*; *artem obstetriciam* cel. *Lucas Boër*; *artis veterinariae* partem anatomicam et therapeuticam Prof. Dr. *Veit*; — praeterea praelectionibus privatis Prof. *Mayer* de *Anatome* et Prof. *Bor* de *morbis infantum et mulierum*, nec non de *arte concinandi formulas* interfui.

Denique celeb. *Universitatem litterariam Berolinensem* adgressus et civibus accademicis d. XXIX M. Septembr. A. MDCCCXVII adscriptus, eximia hujus *Universitatis* instituta in proprium commodum converti. Celeb. *E. Horn* *Therapiam specialem* et *doctrinam de morbis venereis* in specie tradidit; per semestre primum *Polyclinico Regio*, ducibus Cel. *C. W. Hufeland*, *Osann*, *Busse* et *Bernstein*; per semestre alterum *Clinico medico* in *Nosocomio caritatis*, duce cel. *E. Horn*, adscriptus interfui.

Tentamine et examini rigoroso, *Cursu anatomico chirurgico et clinico* feliciter peractis, ad suscipienda in *Universitate* hac *Doctoris Medicinæ et chirurgiæ* privilegia, hasce pagellas conscripsi et *Theses sequentes*, publice defendendas, proposui.

Joan. Georgius Münch.



THESES DEFENDENDAE.

1.

Evacuationes criticae, in febrium cura sua significatione non carent.

2.

Opinio de materiae peccantis in febribus praesentia et coctione necessariis, satis firma non est.

3.

Omne symptoma morbosum, mutationem aliquam immediate in organo illud producenti praesupponit.

4.

Erysipelas internum existere nequit.

5.

Phrenesia est morbus complicatus.

THESIS DEFENDENDA

1. *Evolutiones criticae in febrium cura sua signis
localione non carent.*

2. *Quaeritur de morbis puerilibus in febribus
praesentibus et curatione necessariis, etiam dum non
er.*

3. *Quae symptomata febrium, mutationem alii
quam immutate in organo illud producant, prae
sunt.*

4. *Erysipelas intestinum exstate nonnullis*

5. *Phlegmonia est morbus complicatus.*